



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd in diebus ieiunij eleemosina sit facienda. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quòd in diebus ieiunij eleemosyna sit facienda.

Caput XI.

Diebus verò ieiunij eleemosyna facienda est, & cibū *Ex cõcil. Cabillo.*
siue potum, quo quisq; vti debuit, si ieiunauerit, pau-
peribus eroget: quia ieiunare & cibos prandij ad cœnam *cap. 5.*
reseruare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

Vt in quadragesima tempus prandij seruetur.

Caput XII.

Solent plures, qui se ieiunare putant in quadragesima, *Ex decr. Siluerij*
Smox vt signum audierint ad horam nonam manduca- *pa. cap. 1.*
re. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante mandu-
cauerint, quàm vespertinum celebretur officium. Concur-
rendum est enim ad missas, & auditis Missarum solèiibus
& vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum acce-
dendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit
vt ad Missam venire non valeat, æstimata vespertina hora,
completa oratione sua, ieiunium absoluat.

Quòd in diebus ieiuniorum nulla iurgia esse debeant.

Caput XIII.

In his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentio- *Ex dictis*
nes esse debent: sed in Dei laudibus & opere necessario *Liber. pa.*
persistendum. Arguit enim eos qui contentiones & lites
quadragesimæ tempore faciunt, & qui debita à debitoribus
exigunt, dominus per prophetam dicens: Ecce in die ieiu-
nij vestri inueniuntur voluntates vestræ: & omnes debi-
tores vestros repetitis. Ecce ad lites & ad contentiones
ieiunatis, & percutitis pugno impiè.

*Vt in illis sacratis diebus ieiuniorum coniugati à con-
iugibus se abstinere debeant. Cap. XIII.*

Abstinendum est enim in his sacratissimis quadrage- *Itè eius-*
simæ diebus à coniugibus & castè & piè viuendum, vt *dē, cap. 5.*
sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, & sic
perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia pene nihil va-
let ieiunium, quòd coniugali opere polluitur, & quòd ora-
tiones, vigilæ, & eleemosynæ non commendant.

*De his qui in clero sunt, & carniū esum habue-
rint exosum. Cap. XV.*

Ex cõcil.

Hiqui in clero sunt presbyteri aut diaconi, & à carni- *Ancirano*
bus abstinet, placuit, eas quidem contingere, & ita si *cap. 13.*